

2175

C O D I C E S

2176

ad primum verbum — multi ex eis implacabiliter turbati sunt Et vnus pre multis ac inter alios magnus Reuerendusque magister (Joh. de Falkenberg O. P.?) Coram hoc sacro Constan. concilio hac occasione vt a multis creditur sermonem assumpsit. In quo truncata diuini apostoli pauli verba recepit pro Themate a dextris et a sinistris, truncauit nimirum et tacuit per arma iusticie. Iuste quidem quia non per arma iusticie sed per verba iniurie a dextris et a sinistris Statum ecclesiasticorum prelatorum inuasit &c. Contra hunc igitur et huiusmodi graviter insurgens inter alia dictum etiam cuiusdam Religiosi in Concilio sparsum affert: Quod contra clerum ecclesiasticum tale semen in populo seminaret, quod in eternum illud eradicare non valerent; et finit: In qua litera (Univ. Paris.) ultimata est petitio ut etiam error Iohannis parvi refutatus parisiis per 140 doctores baccalarios et licenciatos in theologia condempnetur eciam constantie.

XXVI. fol. 295. sine titulo Sermo de omnibus Sanctis in illud: Signum magnum apparuit in celo &c. Initium: Hec mulier que in verbis propositis tamquam signum magnum in celo apparuisse dicitur et celestibus insignijs ornata describitur — sanctam ecclesiam triumphantem congrue signat &c. Ex decursu liquet Sermonem hunc in Synodo Constantiae habitum fuisse, cumque hic inter duos Petri de Alliaco Sermones medius sit, quidni illum huic eidem Petro tri-

buamus, quamvis binis de eadem Celebritate in edit. *Argentin.* supracitata non adnumeretur. Confirmat id Cod. DCCCCLXIX.

XXVII. fol. 300. p. 2. Sermo, ut ex calce praeoccupo, domini petri cameracens. qui est factus ad honorem sancti Iodwici filij regis sicilie (Caroli II. Claudi) qui fuit frater minorum et pontifex ecclesie. Incipit: Euge serue bone &c. Ad laudem sancti et beatissimi confessoris atque pontificis Iodowici &c. et habetur in edit. *Argentin.* suprac. ubi dicitur factus in concilio generali habito constantie Anno domini. M. CCCCXVII.

XXVIII. fol. 305. p. 2. Notanda quaedam de Dilectione Dei et Proximi, pro sacris dictionibus, in quibus citatur M. Henricus de Hassia.

XXIX. fol. 307. Notanda familia de sacra Caena, ubi agitur de Praeparatione, de quadruplici modo manducandi, de modo se preparandi et disponendi digne ad communionem &c. Initium: Bernbardus in sermone de corpore christi dicit, quod homo cum in honore esset &c.

XXX. fol. 235. Similia de doloribus et gaudiis B. V. Mariae. In illud: Stabat autem iuxta crucem &c. Et: Gaudere autem oportebat, quia hic filius mortuus erat et reuixit. &c.

DLXXIII.

Codex chartaceus lat. Sec. 432
XV. Folior. 235. 4. corrente calamo

2177

A S C E T I C I

2178

lamo non una manu exaratus, rubricisque distinctus sequentia complectitur: I. Praemisso Schemate tabellari *Incipit tractatus venerabilis Doctoris gerson olim cancellarii parisiensis de oratione et suo valore &c.* Initium: *Oportet semper orare et non deficere &c.* Jam indicatus alibi. In Edit. Opp. dicta Dupinii extat T. III. col. 247. In fine Nostri adjungitur: *Finis operis orationis utinam et miserie &c.*

II. fol. 21. p. 2. *Incipit tractatus de theologia mystica editus ab eximio sacre theologie professore M. iohanne gerson parisiense cancellario.* Initium: *Penitemini et credite ewangelio. Marci c. 1^o.* Non nisi Pars I. seu Speculativa hujus Operis, quod extat Edit. cit. T. III. col. 362.

III. fol. 59. p. 2. absque inscriptione: Ejusdem *Tractatus de Perfectione Cordis.* Incipit: *Theologus loquitur ad animam christianam. Diliges dominum deum tuum &c.* Habetur Edit. cit. T. III. col. 436. Ad calcem Librarius noster adjecit: *Explicit tractatus preclari uiri Magistri Johannis gerson cancell. parisi. de perfectione christianorum notanter simplicium siue secularium multa iocunda habens et salubria in medulla exigens masticationem sui.*

IV. fol. 74. p. 2. *Incipit alius tractatus eiusdem Venerabilis doctoris contra heresim de communione laicali sub utraque specie.* A nobis jam Codd. pluribus indicatus, prostantque Edit. cit. T. I. col. 457. hoc ingressu: *Oblatu-*

rus iuxta seniorum huius sacri concilij constan. monicionem generalem nonnulla &c.

V. fol. 85. *Tractatus ἀνεπιγχαφος*, sed, ut e calce praeoccupo: *contra communicantes laicos sub utraque specie sacramentali.* Editus ab Egregio viro Magistro Johanne hoffman de Smydnicz sacre theologie professore pronuntiatus in studio lipczeni Anno domini M^o CCCC^o. XXI^o. Incipit: *Debemus invicem diligere &c.* Vide, si lubet, quae de Opere et Autore dicta sunt ad Cod. CCCCXV.

VI. fol. 230. Controversia inter Academiam Pragensem et Viennensem mota anno 1413. occasione quorundam *Wiclefi* Aseclarum, constans sequentibus Documentis: 1) *Copia littere magistri Johannis Sybart ad episcopum Sagrabiensem.* Fuit Vir hic Theologiae et Artium Professor *Viennae*, gessitque anno praecedente Philosophiae Decanatum teste *Joh. Jos. Lochero* in *Speculo Acad. Vien.* p. 141. ab ipsa vero Academia, ut ex Document. ult. praeoccupo, ita commendatur: *Quem ex puero nouimus tocius vite ac morum honestate ita fulcitum et in nostra uniuersitate tam laudabiliter conuersatum, Primum quidem discendo, postea regendo legendo et docendo, ut in maiori nostre uniuersitatis collegio stipendium et in sacra Theologia magisterium dimoscatur dignissime meruisse. Qui eciam quanta erga Deum deuocione ferbuerit, ostendit in opere, quia infra mensem renuncians*

renunciatis seculo in omnibus, que possidebat, sancte religionis suscepit habitum proponens soli christo in ordine carthusiensium strenue militare. Coenobium Mauerbacense prope Viennam ingressum fuisse, inde putem, quod ad calcem Codicis nostri legatur: *Iste liber est fratrum domus Vallis omnium sanctorum in mauerbach.* Altum cetera de eo silentium. Itaque ad ejus Epistolam revertor, qua Zagrabiensi in Croatia Episcopo, qui tunc erat Eberhardus de Alben, haec significat: *Certe de pertranseuntibus hic Wyenne non nullos vestre dyocesis clericos seu scolares, quod dolenter refero, singularis et peruersi deprehendi Wicleffistarum dogmatis sectatores. Vnde quia et nunc huius erroris heresiarce inter alia plura sue temeritatis absurdissima deliramenta contra clerum conantur, et ad spoliaciones ecclesiarum potentes seculi prouocare — adbortor, ne tante peruersitatis delatoribus locum in vestris permittatis districtibus &c.* Neque contentus hac denunciatione alteram instituit; sequitur enim:

2) *Copia ejusdem ad Capitulum Sagrabien.* Praeter ea, quae ad Episcopum scripta legimus, hic addit Noster: *Nam nunc etiam Jeronimus ipse a praga heresis huius seminator non minimus subuersionis gratia ad regem Cracovie (Jagellonem) et fratrem eius (Svidrigelonem) in fide prout noster adhuc neophitos se contulit. Sicut ex veridica relatione percepimus hic Wienne &c.* Data est

haec Epistola anno 1413. Clericos et Scholares praedictos ab Academia Pragensi, in qua Job. Hussus tunc plurimum poterat, in Patriam reuersos ab Episcopo, Capituloque admonitos fuisse ostensis fortasse etiam Nostri Litteris, remque illico Pragam nunciasse patet ex Docum. sequenti:

3) *Copia Johannis Hus ad praefatum doctorem; Johannem videlicet Sybart.* Acris Epistola ita orditur: *Salutari non meretur qui grauibus mendacijs diffamat proximos, Sed dignus correctione cernitur esse, ut mendacio suo cognito ad uiam caritatis cicius reuertatur. Ecce tu professor, non sacre Theologie, sed informacionis nequicie; cur magistrum Jeronimum disseminatorem heresis non minimum asseris, de cuius fide tibi non constat (poterat ei constare ex iis, quae cum Hieronymo acta sunt Viennae an. 1410. ut habentur apud Marc. Hansizium Germ. sacr. T. I. p. 491.) et addis gloriosum mendacium, quod ipse subuersionis gratia ad Regem Cracovie et fratrem illius se contulit. — Nec ipsum magistrum honorabilem solum ausus es dentibus mordacibus contingere, sed communitates maximas. Non suffecit tibi bohemia, sed et sclauorum regnum in scolaribus temeritate dyabolice heresis criminare ausus es. Cetera minae et oburgationes. Datum in Octaua Johannis baptiste. per magistrum Johannem hus in spe seruum ihesu christi.* Haec Epistola non habetur

tur inter LXVIII. illas, quae leguntur in *J. Hussi Monumentis, Norib. 1558. f.* Neque illa contentus *Hussus* Rectorem Univ. *Pragenae* sibi obnoxium excitavit, ut nomine Academiae Literas ad *Viennensem* daret, quae sequuntur.

4) *Copia rectoris uniuersitatis pragen.* Incipit a querelis: *Longis temporibus ex parte quorundam magistrorum uestrorum iniurias in nostris membris sustulimus nulla causa notabili exigente. Unde miramur, cur in nostre uniuersitatis supposita manus extendunt — ipsa turpiter tractando, captiuando et in carcerem deducendo. Et quidam magister Jo. Sybart &c.* Hic repetuntur accusationis capita ex ejus ad Episcopum et Capitulum *Zagrab.* Literis, postulaturque, ut mendaci huic *Viro* iusta correctio impendatur, additis minis: *Alias oporteret uniuersitatem nostram super hiis auxilium Illustris principis domini ducis (Alberti) et domini capitanei terre austriae implorare. — Responsum petimus de premissis. Datum Anno 1413. die 8. mens. Julij nostri rectoratus sub sigillo. Magister Michael Malanycz (de Malenicz, Malonicz) sacre Theologie baccal. formatus, rector alme uniuersit. studij pragen. Redhibuere Viennenses amplum Responsum:*

5) *Copia uniuersitatis Wyenn.* Inscripta est non solum Reктору, sed Reктору doctoribus et magistris — fratribus perdilectis in generali ipsorum congregatione
Denis Codd. Theol. V. I. P. II.

*cum reuerentia presentanda. Repetitur totum Epistolae Pragenae argumentum, tum: Verum quia ipsam epistolam uniuersitatis uestre nomine missam tenor eius non preferit, eo quod non uniuersitatis uestre sed solius rectoris titulo insignita cernatur, ambigimus an uestri unanimes ex consensu sub hac forma fuerit decreta, sed forte alicuius vel aliquorum priuata effecione extiterit destinata, ut de eius epistole grauitate et premissis cerciores sitis, ipsius epistole copiam inclusam presentibus duximus remittendam. Insuper grauius ferimus, quod idem dominus rector uestre uniuersitatis magistrum et signanter magistrum Johannem Sybart (en aliam machinam) ad magistrum ciuium et consilium maioris ciuitatis pragen. tam grauiter accusando detulit, ut ad sui instanciam permoti magistro ciuium et consilio ciuitatis Wyenn. contra eosdem grauiter scripserint de pluribus accusantes. Quemalmodum eiusdem scripti tenor demonstrat, cuius copiam similiter uobis mittimus. Sinceram dein amicitiam testati pergunt: denique uestre uniuersitatis de scidio, pressuris et calamitatibus, et bonorum uirorum rapinis, quas huc usque in persecutione Wycleffistarum pertulistis et hodie cum gaudio patimini propter deum, compassi sumus, et semper compatimur, cordium nostrorum dolentes ex intimis, quod etiam audire cogimur famam publicam ymo uerius infamiam quorundam magistrorum et baccalaureorum sacre theologie
Q q q
eciam*

2183

C O D I C E S

2184

eciam formatorum de vestra vniuersitate prodeuncium, qui armiductores existant sceleris immanissimi resuscitandi errores letiferos Johannis Wycleff anglici doctrine katholice dissonantes, et ob id dudum legitime condemnatos &c. Procedunt dein ad diluenda objecta: Neminem Pragensium Vienneae molestia adfectum preter quendam nomine dominicum de Zagrabia, qui circa festum dominice ascensionis propter friuolas et temerarias assertiones errorum Wycleff et eorum approbacionem domino officiali curie patauien. (Andr. de Grillenberg) denunciatus capiebatur per eundem, non per aliquem de magistris nostris; quin pro fatente, se eos errores vel saltem aliquos a magistro Jo. bus docente publice didicisse, et recantante Univerfitatem intercessisse. Nouimus eciam, pergunt, quod fere ante annos tres (1410) Idem dominus officialis eciam magistrum Jeronimum de praga tamquam de eadem wycleffistica secta suspectum ad iudicium euocauit, non tamen incarcerando, sed deferendo suo gradui recepto ab eo iuramento sola obligatione de stando iuri. et diffinitivam sententiam expectando, sub periurii et excommunicationis late sententiae penis, quas ipso facto incurreret, si ante recederet, sed clam recessisse Hieronymum, unde Pragenses aduersus eum concitant. Narrat rem ex ipsius Grillenbergii Literis Hansizius suprac. confundit vero Proc. Lupacius, dum in suis Ephemerid. ad diem 8. Jul.

1413. narrat, Michaelem de Malonicz h. d. dedisse literas ad Univerfitatem Vien. de dimittendo ex custodia M. Hyeronimo Pragensi. Reliqua proluxae Epistolae pars in defendendis iis, quae Job. Sybartus Zagrabiam scripserat, et in stimulandis Academicis Pragensibus, ne Wicleffistas pro arbitrio agere finerent, infumitur. Subscriptum: Vestri rector (M. Joh. Fluck de Phulendorff) et Vniuersitas studij Wyen. Paulo longior fui in recensenda hac Controversia, cum nec apud Bob. Balbinum, nec in Consp. Historiae Univ. Vienn. nec in Baltb. Kerbelicbii Hist. Ecclesiae Zagrab. quidpiam de ea adnotatum deprehenderim. Confer et Cod. CCCCVIII. n. 27.

DLXXIV.

Codex chartaceus lat. Sec. 12^o XV. Folior. 240. f. probe scriptus, olimque, ut praenotatur, Monasterij Sancte Marie alias Scotorum Wyenne, his partibus constat: I. Johannis Gersonii Cancellarii Paris. Collectorio super Magnificat, quod in Tractatus XII. tributum, Summarioque ac Probemio instructum, ut in edit. quam Dupinio inscribunt, T. I. col. 229. decurrit. Ad calcem nobis subnotatur: *Explicit liber super cantico marie et byno Lugduni* (ubi Johannes opus istud composuit) *Scriptus in Concilio generali Basilien. Anno 1433^o.*

II. fol. 204. p. 2. absque titulo sequitur Eiusdem Tractatus, qui